Quelle: https://manuscripta.at/?ID=468
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

piant et praesens potentia futurorum sit
materia tormentorum. Unde iuxta LXX dicitur:
Ve eis qui vos miseros faciunt; vos autem
nemo faciet miseros. Et est sensus: Quantum
intellegibilis est qui persecuntur vos et variis affli
guntur cruciatibus, inter fectos atque cruciatos
miseros arbitrantur, sed nullus vos potest
facere miseros. Non enim habent in animam
potestatem, sed in corpore. Et qui reprobat vos
non reprobat — vos, sed eum qui misit vos, iuxta quod sal
vator discipulis loquitur: Qui reprobat vos
me reprobat, et qui me reprobat, eum repro
bat qui misit me. Capientur quoque persecuto
res et aeternis tradentur ardoribus, et quomodo
tinea vestimentum, ita illos ignis flam
ma consumet. Quod et in fine huius prophetae
scribitur: Vermis eorum non morietur, et ignis
non extinguetur.

Domine miserere nostri, te enim expec
tavimus; esto brachium nostrum in mane,
et salus nostra in tempore tribulationis.
A voce angeli fugerunt populi, et ab exalta
tione tua dispersae sunt gentes. Et congre
gabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus,
velut cum fossae plenae fuerint de eo.
Magnificatus est dominus, quoniam habitavit in
excelso, implevit syon iudicio et iustitia, et
erit fides in temporibus suis. Divitiae sa
lutis sapientia et scientia, timor domini
ipse est thesaurus eius. LXX: Domine miserere
nostri, in te enim confidimus. Factum est semen
incredulorum in perditione; salus autem nostra
in tempore tribulationis. Propter vocem
timoris obstipuerunt populi a timore tuo
et dispersae sunt gentes. Nunc autem congregabuntur
spolia vestra parvi et magni; quomodo si quis
congreget locustas, sic illudent vobis.

Sanctus dei qui habitat in excelsis. Reple
ta est syon iudicio et iustitia. In lege
tradentur in thesauros; salus nostra venit,
sapientia et disciplina et pietas a domino; isti
sunt thesauri iustitiae. Hebrei superius
capitulum, in quo legitur: Ve qui praedaris,
nonne et ipse praedaberis, et reliqua usque
ad finem contra Sennacherib regem Assy
riorum dictum putant, quod postquam X tribuum
quae appellabantur Israhel subverterit civita
tes, et excepta Hierusalem Iudae quoque urbem
ceperit, ipse superetur, et percutiente angelo
eius deleatur exercitus. Unde nunc ex persona populi
gratias referentis atque dicentis: Domine
miserere nostri, te enim expectavimus, haec
dicta contendunt, quae praesenti capitulo
continentur, quod ipse brachium fuerit et ro
bur populi obsidione vallati in tempore
matutino, et salus in necessitate et an
gustia. A voce enim angeli quem Symma
chus ita ut in hebreo scriptum est trans
tulit AMUN, quem Hebrei Gabrielem
autumant, et here toimologian populi
fugit Assyrius, et ab exaltatione domini gen
tes quae cum eo erant huc illucque
dispersae sunt, quibus fugientibus spo
lia congregata sunt a Iudeis, sicut solet
bruci et locustarum colligi multitu
do cum in fossas coacervatae fuerint.
Quorum victoria dominus magnificatus est,
syon impleta iudicio et iustitia, et fides
obsessi populi conprobata, omnesque divici
as in sapientia habuerunt et scientia dei et ti
more domini qui solus thesaurus fuit. Haec
illi iuxta hystoriam dixerint. Omni rome
nitentes Christi et apostolorum eius subvertere
sacramenta. Nos autem post beatitudinem